IN LOGARITHMOS.

Quæ tibi cunque ſinus, tangentes atque ſecantes
Prolixo præſtant, atque labore gravi:
Abſque labore gravi, & ſubitò tibi, Candide Lector,
Hæc Logarithmorum parva tabella dabit.

MIRI-

MIRIFICI
Logarithmorum canonis deſcriptio, eiuſque uſus in utrâque Trigonometria, ut etiam in omni Logiſtica mathematica, *ampliſſimi, facillimi, & expeditiſsimi* explicatio.

LIBER I.

CAPVT. I.
De Definitionibus.

1. Def. *Linea æqualiter creſcere dicitur, quum punctus eam deſcribens, æqualibus momentis per æqualia intervalla progreditur.*



Sit punctus A, à quo ducenda ſit linea fluxu alterius puncti, qui ſit B. fluat ergo primo momento B ab A in C.